

concesserunt ut in ipsa urbe Orientis principe humanitatis artes addicerent. Uterque plurimum brevi profecerunt; sed maxime Cyrillus, qui tantam scientiarum laudem adeptus est, ut singularis honoris causa philosophus appelleretur. Deinde monachum agere Methodius cepit; Cyrillus autem dignus est habitus, cui Theodora imperatrix, auctore Ignatio Patriarcha, negotium daret erudiendi ad fidem christianam Chazaros trans Chersonesum incolentes; quos praeceptis suis edoctos et Dei numine instinctos, multiplici superstitione delata, ad Jesum Christum adjunxit. Recenti Christianorum communitate optime constituta, Constantinopolim rediit alacer, atque in monasterium Polychronis, quo se jam Methodius receperat, Cyrillus ipse secessit. Interim cum res trans Chersonesum prospere gestas ad Rastiläum Moraviae principem fama detulisset, is de aliquot operariis evangelicis Constantinopoli accessendis cum imperatore Michael tertio egit. Igitur Cyrillus

et Methodius illi expeditioni destinati, et in Moraviam celebri laetitia excepti, animos christianis institutionibus tanta vi, tamque operosa industria excolendos aggrediuntur, ut non longo intervallo ea gens nomen Jesu Christo libentissime dederit. Ad eam rem non parum scientia valuit dictionis Slavonicae, quam Cyrillus ante perceperat, multumque potuerunt sacrae utriusque Testamenti Litterae, quas proprio populi sermone reddiderat: nam Cyrillus et Methodius principes inveniendi fuerunt ipsas litteras, quibus est sermo ipsorum Slavorum signatus et expressus, eaque de causa ejusdem sermonis auctores non immerito habentur.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocerebit ei. — Manus.

Lectio v.

CUM rerum gestarum gloriam secundus rumor Romam nuntiasset, sanctus Nicolaus primus Pontifex maximus fratres

optimos Romam continere jussit. Illi Romanum iter ingressi, reliquias sancti Clementis primi Pontificis maximi, quas Cyrillus Chersonae repererat, secum advehunt. Quo nuntio, Hadrianus secundus, qui Nicolao demortuo fuerat suffectus, clero populoque comitante, obviam eis magna cum honoris significatione proceditur. Deinde Cyrillus et Methodius de munere apostolico, in quo essent sancte laboriosaque versati ad Pontificem maximum, assidente clero, referunt; cum autem eo nomine ab invidis accusarentur, quod sermonem Slavonicum in perfuntione munerum sacrorum usurpavissent, causam dixere rationibus tam certis tamque illustribus, ut Pontifex et clerus et laudarent homines et probarent. Tum ambo jurati se in fide beati Petri et Pontificum Romanorum permansuros, Episcopi ab Hadriano consecrati sunt. Sed erat provisum divinitus, ut Cyrillus vitae cursum Romae conderet, virtute magis quam aetate maturus. Itaque defuncti corpus elatum fu-

nere publico, in ipso sepulcro quod sibi Hadrianus exstruxerat, depositum fuit; tum ad sancti Clementis deductum, et hujus prope cineres conditum. Cumque veheretur per urbem inter festos psalmorum cantus, non tam funeris quam triumphi pompa, visus est populus Romanus libamenta honorum caelestium viro sanctissimo detulisse. Methodius vero in Moraviam regressus, ibique factus forma gregis ex animo, rei catholicae inservire majore in dies studio institit. Quin etiam Pannonios, Bulgarios, Dalmatas in fide christiani nominis confirmavit; in Carinthiis autem ad unius veri Dei cultum traducendis plurimum elaboravit.

R. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

APud Joannem octavum, qui Hadriano successerat, iterum de suspecta fide violatoque mo-

re majórum accusátus, ac Romam venire jussus, coram Joánne, et Episcopis áliquot cleróque urbáno, fáciie vicit cathólicam prorsus fidem et se retinuisse constánter, et céteros diligénter edocuisse; quod vero ad linguam Slavónicam in sacris peragendis usurpátam, se certis de causis ex vénia Hadriáni Pontificis, nec sacris Litteris repugnántibus, jure fecisse. Quapropter in re præsentí compléxus Methódium Póntifex, potestátem ejus archiepiscopólem, expeditionéque Slavónicam, datis étiam litteris, ratam esse jussit. Quare Methódus in Moráviám revérsus assignátum sibi munus explére vigilántius perseverávit, pro quo et exsílum libénter passus est. Bohemórum príncipem ejúsque uxórem ad fidem perduxit, et in ea gente christiánium nomen longe latéque vulgávit. Evangélii lumen in Polóniam invéxit, et, ut nonnulli scriptóres tradunt, sede episcopáli Leópoli fundáta, in Moscóviám próprii nóminis digréssus, thronum pontificálem Kiowénssem consti-

tuit. Demum in Moráviám revérsus est ad suos; jamque sese ábripi ad húmanum éxitum séntiens, ípsemet sibi successórem designávit, clerúmque et pópulum suprémis præcéptis ad virtútem cohórtátus, ea vita, quæ sibi via in cœlum fuit, placidíssime defúctus est. Uti Cyrillum Roma, sic Methódium Morávia decedéntem summo honóre prosequúta est. Illórum vero festum, quod apud Slavóniæ pópulos jámdiu celebrári consuéverat, Leo décimus tértius Póntifex máximus cum Officio ac Missa própria in univérsa Ecclésia quotánis agi præcépit.

℞. Iste est. [78]

In *ijj. Nocturno, Homilia.*
Dóminus et Salvátor. *ut in Festo S. Augustini die xxviiij. Maii. 445.*

AD LAUDES.

Hymnus.

LUX o decóra pátriæ,
Slavísque amíca géntibus,
Salvété, fratres; ánnuo
Vos efferémus cántico.
Quos Roma plaudens éx-
cipit,
Compléxa mater filios,
Auget coróna Præsulum,
Novóque firmat róbores.

Terras ad usque bárbaras

Inférre Christum pérgitis;
Quot vanus error lúserat,
Almo replétis lúmine.

Noxis solúta pèctora
Ardor supérnus ábripit;
Mutátur horror véprium
In sanctitátis flósculos.

Et nunc seréna Cœlitum
Locáti in aula, súpplíci
Adéste voto; Slávicis
Serváte Gentes Númini.

Erróre mersos únicum
Ovíle Christi cóngreget;
Factis avítis æmula
Fides viréscat púlchrior.

Tu nos, beáta Trínitas,
Cœlésti amóre cóncita,
Patrúmque natos ínclýta
Da pèrsequi vestígia.

Amen.

℞. Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli. ℞. Et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Ad *Bened. Aña.* In sanctitáte et justítia serviérunt Dómino ómnibus díebus suis: ídeo stolam glóriæ índuit illos Dóminus Deus Israel.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyrillum et Methódium ad agnitióem tui

nóminis venire tribuisti: præsta, ut quorum festivitate gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

IN II. VESPERIS.

Hymnus ut supra ad Matutinum. 581.

℞. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℞. Et sancti tui exsúltent.

Ad *Magnif. Aña.* Isti sunt viri sancti, facti amici Dei, divínæ veritátis præcónio gloriósi: linguæ eórum claves cœli factæ sunt.

Commem. sequentis.

DIE VIII. JULII.

S. Elisabeth

Reginæ Portugalliae,
Viduæ. Semiduplex.

IN I. VESPERIS.

Quando dicendæ sunt integræ, Añæ et Capit. de Laud. 591.

Psalmi de Communi Virginum. [122]

Hymnus ut infra ad Matutinum. 586.

℞. Ora pro nobis beáta Elisabeth. ℞. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Ad *Magnificat, Aña.* Et nunc * reges intelligite, erudimini, qui judicátis terram.

Oratio.

Clementissime Deus, qui beatam Elisabeth reginam, inter ceteras egregias dotes, bellici furoris sedandi prerogativa decorasti: da nobis ejus intercessione, post mortalis vitae, quam suppliciter petimus, pacem, ad aeterna gaudia pervenire. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Laudemus Deum nostrum, * In sanctis operibus beatae Elisabeth.

Ps. Venite, exsultemus.

Hymnus.

Domare cordis impetus
Elisabeth

Fortis, inopsque Deo
Servire, regno praetulit.

En fulgidis recepta caeli
sedibus,

Sidereaeque domus

Ditata sanctis gaudiis.

Nunc regnat inter Coelites
beatior,

Et premit astra, docens
Quae vera sint regni bona.

Patri potestas, Filioque
gloria,

Perpetuumque decus

Tibi sit almae Spiritus.

Amen.

In I. Nocturno.

Añã. Elevata est * magnificentia Elisabeth super caelos.

Psalmi trium Nocturnorum de Comuni non Virginum. [146]

Añã. Veni electa mea, * et ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam.

Añã. Accipit benedictionem * a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

℣. Multae filiae congregaverunt divitias. **℞.** Tu supergressa es universas. De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. xxxj. b



Uliorem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitae suae. Quaesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, et emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.

℞. Regali exorta progenie triumphat in caelis Elisabeth, triplici circumdata varietate meritorum:

* Nam in terra in triplici vitae gradu posteris imitanda virtutum reliquit exempla. **℣.** Virginalem statum, conjugalem, et vidualem inoffenso pede cucurrit. — Nam in terra.

Lectio ij.

Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suae a frigoribus nivis: omnes enim domesticae ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananaeo.

℞. Os suum aperuit sapientiae, * Et lex clementiae in lingua ejus. **℣.** Quoniam praeveneris eam in benedictionibus dulcedinis. — Et lex.

Lectio iij.

Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua ejus. Consideravit semitas domus suae, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam praedicaverunt: vir ejus, et laudavit eam. Multae filiae congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera ejus.

℞. Desiderium animae ejus tribuisti ei, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam. **℣.** Scuto bonae voluntatis tuae coronasti eam Domine. — Et voluntate. Gloria Patri. Et voluntate.

In II. Nocturno.

Añã. Propter veritatem, * et mansuetudinem, et justitiam deducet te mirabiliter dextera tua.

Añã. Arcum conteret, * et confringet arma, et scuta comburet igni.

Aña. Justítia * et misericórdia plena est dextera tua.

V. Virga tua, et báculo tuus. **R.** Ipsa me consoláta sunt.

Lectio ib.

S Elisabeth Aragóniæ régibus ortam, Christi anno milésimo ducentésimo septuagésimo primo, in præságium futúre sanctimóniæ paréntes, præter morem, relicto matris aviæque nómine, a magna ejus matértera, Thuringiæ dómina, sancta Elisabeth, in baptismo nominátam voluere. Ubi nata est, statim páuit, quam felix regum regnorúmque esset futúra pacátrix: natalítia enim ejus lætítia perniciosas avi patrisque dissensionés in concórdiam convertit. Pater vero crescentis póstea filiæ admirátus índolem, afirmábat fore, ut una Elisabeth réliquas Aragoniórú regum sanguine creatas féminas virtúte longe superáret. Sic cœlestem ipsius vitam in contemnendo córporis ornátu, in fugiéndis voluptátibus, in jejúniis frequentándis, in divinis præcibus assidue recitándis,

in caritátis opéribus exercéndis, venerátus, rerum suárum regníque felicitátem unius filiæ méritis referébat accéptam. Tandem ubique nota, et a multis princípibus exoptáta, Dionysio Lusitaniæ regi christiánis ceremoniis rite est in matrimónium collocáta.

R. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere pópulum tuum, et domum patris tui: * Et concupiscet Rex decórem tuum. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et concupiscet.

Lectio b.

Auncta conjúgio, non minórem excoléndis virtútibus, quam liberis educándis óperam dabat, viro placere studens, sed magis Deo. Médiam fere anni partem solo pane tolerábat et aqua: quæ in quodam ipsius morbo divinitus versa est in vinum, cum id a médis præscriptum bíbere recusáset. Páuperis féminæ ulcus horréndum, exosculáta de repente sanávit. Pecúnias paupéribus distribuendas, ut regem latérent, hibér-

no tẽpore in rosas convertit. Virginem cæcam a nativitate illuminávit: multos álios solo crucis signo a gravíssimis morbis liberávit: plúrima id genus miracula patravit. Monastéria, collégia, et templa non modo exstrúxit, sed étiam magnífice dotávit. In regum discordiis componéndis admirábilis fuit: in privatis publicisque mortálium sublevándis calamitátibus indefessa.

R. Manum suam misit ad fórtia: * Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad páuperem. **V.** Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. — Manum.

Lectio bj.

Defuncto rege Dionysio, sicut virgíribus in prima ætate, in matrimónio conjúgibus, ita víduis in solitúdine fuit ónium virtútum exemplar. Illico enim religiós sanctæ Claræ véstibus indúta, régio fúneri constánter interfuit, ac paulo post Compostéllam proficiscens, multa ex holosérico, argénto, auro, gemmisque donária pro regis ánima

óbtulit. Inde revérsa dómum, quidquid sibi carum aut pretiósium supéerat, in sacros ac pios usus convertit: absolvendóque suo vere régio Conimbricensi virgínum cœnóbio, et alédis paupéribus, et protegéndis víduis, defendéndis pupillis, miseris ónibus juvándis inténta, non sibi, sed Deo, et mortálium ónium cómmodis vivebat. Reges duos filium et génerum pacificátura, Stremótium nóbile óppidum véniens, morbo ex itinere contrácto, ibidem a Virgine Deipara visitáta, sanctíssime óbiit, anno millésimo trecentésimo trigésimo sexto, die quarta Júlii. Post mortem multis miraculis cláruit, præsertim suavíssimo córporis jam per annos fere trecéntos incorrupti odóre; semper étiam reginæ sanctæ cognométo célebris. Tandem anno jubilæi, et nostræ salutis millésimo sexcentésimo vigésimoquinto, totius christiáni orbis concúrsu et appláusu, ab Urbáno octávo rite inter Sanctos ascripta est.

R. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contẽmpsi propter amó-

rem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem credidi, quem diléxi. *℟.* Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Quem. **Glória.** Quem.

In III. Nocturno.

Añã. Confessio * et pulchritúdo in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Añã. Annuntiavérunt cœli * justítiam ejus, et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Añã. Judicávit * in justítia, et pópulos in æquitáte.

℟. Ignis ante ipsam præcédet. *℟.* Et inflammábit in circúitu inimicos ejus.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xij. f

IN illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesáuro abscondito in agro. Et reliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homilia xj. in Evang.

Cœlorum regnum, fratres carissimi, idcirco terrénis rebus símile dicitur, ut ex

his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu didicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cœlorum regnum thesáuro abscondito in agro comparátur: quem qui ínvenit homo abscondit, et præ gáudio illius vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ, * Et loquebátur de testimoniis Dómini. *℟.* Gustávit et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. — Et.

Lectio vij.

QUA in re hoc quoque notándum est, quod inventus thesáurus absconditur, ut servétur: quia stúdiu cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodíre non sùfficit, qui hoc ab humánis laudibus non abscondit. In præsénti etenim vita, quasi in via sumus, qua ad

pátriam pérgimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Depredári ergo desiderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non videant, cum scriptum sit: Videant ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est: sed ut per hoc, quod ágimus, laudes extérius non quæramus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occulto: ut et de bono ópere próximis præbeamus exémpulum, et tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optémus secretum.

℟. Invocávi, et venit in me spírítus sapiéntiæ, et præpósui illam regnis et sédibus: * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illius. *℟.* Mélior est enim sapiéntia cunctis ópibus pretiosíssimis. — Et. **Glória Patri.** Et.

Lectio ij.

Thesáurus autem cœlesté est desidérium: ager vero, in quo thesáurus absconditur, disciplina stúdií cœlestis. Quem pro-

fécito agrum vénditis omnibus comparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínæ cœlestis custodiám calcát: ut nihil jam, quod caro blanditur, libeat; nihil quod carnálem vitam trucidat, spírítus perhorrescat.

Te Deum. 18.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitatís.
2. Et concupíscet Rex * decórem tuum, quia ipse est Dóminus Deus tuus.
3. Potens in ópere * et sermóne, lenívit iracúndiam Dómini, et conciliávit cor patris ad filium.
4. Quasi arcus refúlgens * inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis.
5. Quasi stella matutína * in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis.

Capitulum. Prov. xxxj. b

Mulierem fortem quis invéniet? procul, et de últimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

Opes decusque regium
reliqueras
Elisabeth, Dei dicata nú-
mini :

Recépta nunc beáris inter
Angelos;

Libens ab hóstium tuere
nos dolis.

Præi, viámque dux salú-
tis indica :

Sequémur. O sit una mens
fidélium,

Odor bonus sit omnis
áctio, tuis

Id innuit rosis opérta cá-
ritas.

Beáta caritas, in arce síde-
rum

Potens locare nos per om-
ne sæculum :

Patrique, Filióque summa
glória,

Tibique laus perennis
alme Spíritus. Amen.

✠. Méritis et précibus
beátæ Elisabeth. **R.** Pro-
pítius esto Dómine pópu-
lo tuo.

Ad Bened. Añã. Tu gló-
ria Jerúsalem, * tu lætítia
Israel, tu honorificéntia
pópuli tui.

Oratio.

Clementissime Deus,
qui beátam Elisabeth
reginam, inter céteras
egrégias dotes, bélici fu-
roris sedánda prerogátiva

decorásti : da nobis ejus
intercessióne, post mortá-
lis vitæ, quam suppliciter
pétimus, pacem, ad ætér-
na gáudia pervenire. Per
Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laudes, 591.

R. br. Spécie tua, * Et
pulchritúdine tua. Spécie
tua. ✠. Inténde, prospere
procéde, et regna. Et pul-
chritúdine. **G**lória. Spécie.

✠. Adjuvábít eam Deus
vultu suo. **R.** Deus in mé-
dio ejus, non commové-
bitur.

AD SEXTAM.

Capitulum. Prov. xxxj. c

Manum suam apéruit
ínopi, et palmas suas
exténdit ad páuperem.
Non timébit dómui suæ a
frigóribus nivis.

R. br. Adjuvábít eam,
* Deus vultu suo. Adju-
vábít. ✠. Deus in médio
ejus, non commovébitur.

Deus vultu. **G**lória Patri.
Adjuvábít.

✠. Elégit eam Deus, et
prælégit eam. **R.** In ta-
bernáculo suo habitáre
facit eam.

AD NONAM.

Capitulum. Prov. xxxj. d

Multæ filiaë congrega-
vérunt divítias : tu
supergréssa es univérsas.

Fallax grátia, et vana est
pulchritúdo : múlier ti-
mens Dóminum, ipsa lau-
dábitur.

R. br. Elégit eam Deus,
* Et prælégit eam. Elégit.

✠. In tabernáculo suo ha-
bitáre facit eam. Et. **G**lória
Patri. Elégit.

✠. Diffúsa est grátia in
lábiis tuis. **R.** Proptérea
benedixit te Deus in ætér-
num.

IN II. VESPERIS.

**Añã et Capitulum de
Laudibus, 591. Psalmi de
Communi Virginum. [122]**

**Hymnus ut ad Matuti-
num, 586.**

✠. Ora pro nobis beáta
Elisabeth. **R.** Ut digni
efficiámur promissionibus
Christi.

Ad Magnif. Añã. Elisa-
beth, * pacis et pátriæ ma-
ter, in cælo triúmphans,
dona nobis pacem.

DIE X. JULII.

**SS. Septem Fratrum
Martyrum, ac Rufinæ
et Secundæ Virginum**

**et Martyrum. Semid.
Omnia de Comm. plur.
Mart. [49] præter seq.**

Oratio.

Præsta quæsumus om-
nípotens Deus : ut
qui gloriósos Mátyres
fortes in sua confessióne

cognóvimus, pios apud te
in nostra intercessióne
sentiamus. Per Dóminum.

**In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.**

In II. Nocturno.**Lectio I.**

Septem fratres, filii
sanctæ Felicitátis,
Romæ in persecu-
tione Marci Aurélii Anto-
nini a Públio præféc-
to primum blandítiis, deinde
terróribus tentáti, ut Chri-
sto renuntiántes, deos ve-
neraréntur : et sua virtú-
te, et matre hortánte, in
fidei confessióne perseve-
rántes, várie necáti sunt.

Januáriu plumbátis cæ-
sus : Felix et Philíppus
fústibus contúsi : Silvánu
ex altíssimo loco præceps
dejéctus est : Alexánder,
Vitális, et Martiális cápite
plectúntur. Mater eórum
quarto post mense eám-
dem martyrii palmam
consecúta est : illi sexto
Idus Júlii spíritum Dómi-
no reddidérunt.

R. Sancti tui Dómine
mirábile consecúti sunt
iter, serviéntes præcéptis
tuis, ut inveniréntur illasi
in aquis válidis : * Terra
appáruit árida : et in Ma-
ri rubro via sine impedi-
ménto. ✠. Quóniam per-

cússit petram, et fluxerunt aquæ, et torréntes inundaverunt. — Terra.

Lectio v.

Ufina et Secúnda, soróres vírgines Románæ, rejécto connúbio Armentárii et Veríni, quibus a paréntibus despónsæ fúerant, quod Jesu Christo virginitátem vovíssent, Valeriáno et Galliéno imperatóribus comprehendúntur. Quas cum nec promíssis, nec terróre Június præféctus a propósito posset abdúcere; Rufínam primum virgis cædi jubet: in cujus verbéribus Secúnda júdicem sic interpéllat: Quid est, quod sorórem meam honóre, me áfficis ignomínia? Jube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitémur. Quibus verbis incénsus júdex ímpérat utrámque detrúdi in tenebricósum et fœtidum cárcerem. Quo loco statim claríssima luce et suavíssimo odóre compléto, in ardénte bánei sólio includúntur. Et cum inde étiam íntegræ evasíssent, mox saxo ad collum alligáto, in Tíberim projectæ sunt: unde ab Angelo liberátæ,

extra Urbem via Aurélia milliáριο décimo cápíte plectúntur. Quarum córpora a Plautilla matróna in ejus prædio sepúlta, ac póstea in Urbem transláta, in basílica Constantiniána prope baptistérium cóndita sunt.

R. Vérbera carníficum non timuérent sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fierent in domo Dómini. **V.** Tradiderunt córpora sua propter Deum ad supplicia. — Ut Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. cx. de diversis.

Lectio vj.

Magnum spectáculum, fratres, pósitum est ante óculos fidei nostræ. Aure audívimus, corde vídimus optántem matrem ante se finíre istam vitam fílios suos, longe contráriis votis consuetúdini humánæ. Omnes enim hómines fílios suos, ex hac vita migrándo, præcédere volunt, non sequi: illa autem optávit postérior mori. Non enim amittébat fílios, sed præmittébat: nec íntuebátur quam vitam finírent, sed quam inchoárent. Desinébant enim vívere,

ubi quodóque fúerant moritúri: et incipiébant vívere, sine fine victúri. Parum est fuisse spectatricem: miráti sumus pótius hortatricem. Fecúndior virtútibus, quam fétibus: videns certántes, in quibus ómnibus ipsa certábat, et in ómnibus vincéntibus ipsa vincébat.

R. Tamquam. [57]

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangéllii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xij. d

IN illo témpore: Loquente Jesu ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quæréntes loqui ei. Et réliqua.

Homilia S. Gregórii Papæ. Homilia iij. in Evangelia.

Sancti Evangéllii, fratres caríssimi, brevis est léctio recitáta, sed magnis mysteriórum pondéribus grávida. Jesus etenim Cónditor et Redémptor noster, matrem se nosse dissimulat, et quæ ei mater sit, et qui propínqui, non per cognatiónem carnis, sed per conjunctiόνem spíritus désignat, dicens: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicúmque enim fé-

cerit voluntátem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Quibus nobis verbis, quid áliud innuit, nisi quod obsequétes jussióibus suis multos ex Gentilitáte cólligit; et Judæam, ex cujus carne est géritus, non agnóscit?

R. Propter testaméntum Dómini, et leges patrénas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. **V.** Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viij.

SED cum is qui voluntátem Patris fécerit, soror et frater Dómini dicitur, propter utrúmque sexum qui ad fidem collígitur, mirum non est: mirándum vero valde est, quómodo étiam mater dicátur. Fidèles enim discípulos fratres vocáre dignátus est, dicens: Ite, nuntiáte frátribus meis. Qui ergo frater Dómini fieri ad fidem veniéndum potúerit, quæréndum est, quómodo étiam et mater esse possit.

R. Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam potuit

violári certámine : qui ef-
fúso sángine secúti sunt
Dóminum : * Contemnén-
tes aulam régiam, perve-
nerunt ad regna coeléstia.
✠. Ecce quam bonum et
quam jucúndum habitáre
fratres in unum. — Con-
temnéntes. Glória Patri.
Contemnéntes.

LECTIO II.

SED sciéndum nobis
est, quia qui Christi
soror et frater est credén-
do, mater efficitur prædi-
cándo. Quasi enim parit
Dóminum, quem cordi
audiéntis infúderit : et
mater ejus prædicándo
efficitur, si per ejus vocem
amor Dómini in próximi-
mente generátur. Ad
quam rem nobis idónee
confirmándam adest beá-
ta Felicitas, cujus hódie
natalítia celebrámus: quæ
credéndo éxstitit ancilla
Christi, et prædicándo fa-
cta est mater Christi. Se-
ptem quippe filios, sicut in
gestis ejus emendatióri-
bus légitur, sic post se tí-
muit vivos in carne relín-
quere, sicut carnáles pa-
réntes solent metúere, ne
mórtuos præmittant.

Te Deum laudámus. 18.
In ij. Vesp. fit Commem-
sequentis.

DIE XI. JULII.

S. Pii I.

Papæ et Martyris.

Añã. Iste sanctus pro le-
ge Dei sui certávit usque
ad mortem, et a verbis
impiórum non tímuit :
fundátus enim erat supra
firmam petram.

✠. Glória et honóre.

Oratio.

Infirmitátem nostram
réspecte omnípotens
Deus : et quia pondus pró-
priæ actiõnis gravat, beáti
Pii Mátyris tui atque Pon-
tíficis intercessio gloriósa
nos prótegat. Per Dómi-
num.

LECTIO III.

Iulus, hujus nóminis
primus, Aquilején-
sis, Ruffini filius,
ex Presbytero sanctæ Ro-
mánæ Ecclésiæ summus
Póntifex creátus est, An-
tonino Pio et Marco Au-
relío imperatóribus Au-
gústis. Quinque ordina-
tiõnibus, mense Decém-
bri, Episcopos duódecim,
octódecim Presbyteros
creávit. Exstant nonnúlla
ab eo præcláre institúta,
præsértim ut Resurrectio
Dómini nonnisi die Do-
mínico celebrarétur. Pu-
déntis domum in ecclé-

siam mutávit, eámque ob-
præstántiam supra céte-
ros títulos, útpote Romá-
ni Pontíficis mansiónem,
título Pastóris dicávit, et
in qua sæpe rem sacram
fecit, et multos ad fidem
convérsos baptizávit, ac
in fidélium número
ascrípfit. Dum vero boni
pastóris munus obíret,
fuso pro suis óvibus et
summo pastóre Christo
sángine, martyrio coro-
nátus est quinto Idus Júlii,
ac sepúltus in Vaticáno.

Te Deum laudámus. 18.

In Laud. Añã. Qui odit
ánimam suam in hoc mun-
do, in vitam ætérnam cu-
stódit eam. ✠. Justus.

DIE XII. JULII.

S. Joannis Gualberti

Abbatis. Duplex.

Omnia de Comm. Conf.
non Pont. [97] præter seq.
Oratio.

Intercéssio nos, quæsu-
mus Dómine, beáti
Joánnis Abbátis commén-
det : ut quod nostris mé-
ritis non valémus, ejus pa-
trocínio assequámur. Per
Dóminum.

Et fit Commem. SS. Na-
boris et Felicis Martyrum.
Añã. Istórum est enim
regnum cœlórum, qui con-

tempserunt vitam mundi,
et pervenerunt ad præmia
regni, et laverunt stolas
suas in sángine Agni.

✠. Lætámmini.

Oratio.

Præsta quæsumus Dó-
mine : ut sicut nos
sanctórum Mátyrum tuó-
rum Náboris et Felicis na-
talítia celebránda non dé-
serunt : ita júgiter suf-
frágiis comiténtur. Per
Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.**LECTIO IV.**

Joánes Gualbértus
Floréntiæ nóbili
génere ortus, dum
patri óbsequens rem mili-
tárem séquitur, Ugo, úni-
cus ejus frater, occiditur
a consanguíneo : quem
cum solum et inérmem
sancto Parascéves die
Joánes armis ac militibus
stipátus óbviu habéret,
ubi neuter áterumpóterat
declináre, ob sanctæ cru-
cis reveréntiam, quam ho-
micida supplex, mortem
jamjam subitúrus, brá-
chiis signábat, vitam ei
cleménter indúlget. Hoste
in fratrem recépto, pró-
ximum sancti Miniátis
templum oráturus ingre-

ditur, ubi adorátam Crucifixi imáginem caput sibi fléctere cónspicit. Quo mirábili facto permótuus Joánnes, Deo exínde, étiam invito patre, militáre decérnit, atque ibídem própriis sibi mánibus comam totóndit, ac monásticum hábitum índuit : adeóque piis ac religiósus virtútibus brevi corúscat, ut multis se perfectiónis spécimen ac normam præberet; ita ut, ejúsdem loci Abbáte defúncto, comúní ómnium-voto in superiorem eligerétur. At Dei fámulus cúpiens subesse pótius, quam præesse, ad majóra divína voluntáte servátus, ad Camaldulénsis erémi incolam Romuáldum proficiscitur : a quo cœlicum sui institúti yaticínium accipit : tum suum órđinem sub régula sancti Benedícti apud Umbrósam vallem instítuit.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

DEínde plúrimis ad eum ob ejus sanctitátis famam úndique convolántibus, una cum iis in sócios ascítis, ad hæréticam et simoniacam pravitátem exstirpándam, et apostólicam fidem propagándam sédulo incúmbit, innúmera proptérea in se et suis incómmoda expértus. Nam ut eum ejúsque sócios adversárii perdant, noctu sancti Sálvii cœnóbium repente aggrediúntur, templum incéndunt, aedes demoliúntur, et mónachos omnes letháli vulnere sáuciant; quos vir Dei único crucis signo incólumes prótinus reddit; et Petro ejus mónacho per imménsam ardentissimúmque ignem illæso mirabiliter transeúnte, optátam sibi et suis tranquillitátem óbtinet. Inde simóniacam labem ab Etrúria expulit, ac in tota Itália fidem pristinæ integritáti restítuit.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ✠. Índuit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vij.

Multa fúnditus eréxit monastéria, eadéque et ália ædificiis ac regulári observántia instauráta, sanctis légibus comunívit. Ad egénos aléndos sacram supelléctilem vendidit : ad ímprobos coercéndo eleménta sibi famulári conspéxit : ad dæmones compriméndo crucem quasi ensem adhibuit. Demum abstinéntiis, vigíliis, jejúniis, oratióibus, carnis maceratióibus, ac sénio conféctus, dum infirma valetúdine gravarétur, Davidica illa verba persæpe repetébat : Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : quando véniam, et apparebo ante faciém Dei? Jamque morti próximus, convocátos discipulos ad fratérnam concórdiam cohortátur, et in brevículo, cui consépeliri vóluit, jussit hæc scribi : Ego Joánnes credo, et confíteor fidem, quam sancti Apóstoli prædicavérunt, et sancti Patres in quátuor concíliis confirmavérunt. Tandem triduáno Angelórum obséquio dignátus, septuagésimum octávum annuagens, apud Passi-

niánum, ubi summa veneratióne cólitur, migrávit ad Dóminum, anno salutis millésimo septuagésimo tertio, quarto Idus Júlii. Quem Cœlestínus tertius innúmeris miraculis clarum in Sanctórum número rétulit.

℞. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. v. g

IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Audístis quia dictum est : Diliges próximum tuum, et ódio habébis inimicum tuum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. i. Comment. in cap. v. Matthæi.



Go autem dico vobis : Dilígite inimicos vestros; benefácite his qui odérunt vos. Multi præcépta Dei imbecillitáte sua, non sanctórum víribus æstimátes, putant esse impossibília quæ præcépta sunt, et dicunt sufficere virtútibus, non odísse inimicos : ceterum dilígere plus præcipi, quam humana nátura patiátur. Sciéndum est ergo, Christum non im-

possibilia præcipere, sed perfecta. Quæ fecit David in Saul, et in Absalom : Stéphanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est : et Paulus anáthema cupit esse pro persecutoribus suis. Hæc autem Jesus et dócuit et fecit, dicens : Pater ignosce illis : quod enim faciunt, nesciunt.

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dóminum : * Ipse intercédât pro peccatis ómnium populórum. ℞. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et permanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

IN réliquis operibus bonis intérdum potest áliquis qualemcumque excusationem prætendere : ad habéndam vero dilectionem nullus se póterit excusare. Potest mihi áliquis dicere, non possum jejúnare : numquid potest dicere, non possum amare? Potest áliquis dicere, virginitatem non possum servare, non possum res totas vendere, et pauperibus erogare : numquid

potest dicere, non possum diligere inimicos?

℞. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et vos símiles hominibus expectantibus dóminum suum, quando revertatur a núptiis. ℞. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester venturus sit — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

NON enim ibi aut pedes laborant curréndo, aures audiéndo, aut manus operádo laxántur, ut nos per ipsam excusationem liberare conémur. Non nobis dicitur : Ite ad Oriéntem, et quærite caritatem ; navigáte ad Occidéntem, et inveniétis dilectionem. Intus in nostro corde est, ubi redire jubémur, dicente Prophéta : Redíte prævaricatorés ad cor. Non enim in longinquis regionibus invenitur quod a nobis pétitur.

Te Deum. 18.

In Laud. fit Commem. simplicis, Aña. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt : nolite timere : multis passeribus meliôres estis vos. ℞. Exsultábunt.

In ij. Vesp. fit Commem. sequentis.

DIE XIII. JULII.

S. Anacleti
Papæ et Martyris.
Semiduplex.

Omnia de Comm. unius
Mart. [29] præter seq.

Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundatus enim erat supra firmam petram. ℞. Glória.

Oratio.

DEus, qui nos beati Anacleti Mátyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitate lætificas : concede propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iii.



Naclétus Atheniénsis, Trajáno imperatóre rexit Ecclésiám. Decrévit, ut Episcopus a tribus Episcopis, neque a paucióribus, consecrarétur : et clérici sacris ordinibus públice a próprio Episcopo initiaréntur : et ut in Missa, perácta consecratione, omnes communicarent. Beati Petri

sepúlcrum ornávit ; Pontíficumque sepultúrae locum attribuit. Fecit ordinationés duas mense Decémbris, quibus creávit Presbyteros quinque, Diáconos tres, Episcopos sex. Sedit annos novem, menses tres, dies decem. Martyrio coronátus, sepúltus est in Vaticanó.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductoribus tutávit illum : * Et dedit illi claritatem ætérnam. ℞. Descendítque cum illo in fóveam : et in vinculis non derelíquit eum. — Et dedit. De Expositione sancti Ambrosii Episcopi in Psalmum centésimum decimum octávum.

Lectio v. Serm. xxj.

PRincipes persecúti sunt me gratis : et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injuste persecutiónum tormenta sustíneat : qui nihil rapúerit, nullum violentus opprésset, nullius ságuinem fúderit, nullius torum putáverit esse violándum : qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinere cogátur supplicia :

qui loquátur juste, et non audiátur : qui loquátur plena salutis, et impugnétur : ut possit dicere, Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis igitur persecutióem páitur, qui impugnátur sine crimine : impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessiõe laudábilis : impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum pietas virtutum ómnium fundaméntum sit.

R. Desidérium animæ ejus tribuisti ei Dómine, * Et voluntáte labiõrum ejus non fraudásti eum. **V.** Quóniam prævenisti eum in benedictiõibus dulcédinis : posuisti in cápite ejus corónam de lapide pretiõso. — Et.

Lectio vj.

Vere frustra impugnátur, qui apud ímpios et infidos impietátis arcésitur, cum fidei sit magister. Verum qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxuit : Et a verbis tuis trepidávit cor meum? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formidinis. Sed est étiam infirmitas ad salutem, est étiam

timor sanctõrum. Timéte Dóminum omnes sancti ejus : et, Beátus vir, qui timet Dóminum. Qua ratiõe beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

R. Stola. [37]

In iij. Nocturno, Homilia. Si considerémus. **de Comuni.** [39]

Vesperæ de sequenti.

DIE XIV. JULII.

S. Bonaventuræ

Episc. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. [70] præter seq.

In utrisque Vesperis ad Magnificat, Aña. O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen beáte Bonaventúra, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

V. Amávit eum.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo æternæ salutis beátum Bonaventúram místrum tribuisti : præsta quæsumus, ut quem Doctõrem vitæ habúimus in terris, intercessõrem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. præced. Aña. Qui vult veníre post me, abneget

semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

V. Justus ut palma.

In j. Nocturno, Lectiones. Sapiéntiam. **de Comuni Doctorum.** [90]

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Bonaventúra, Balnearégii in Etrúria natus, cum infans incidisset in vitæ periculum, mater ejus vovit, si inde evasisset, se eum religiõni beáti Francisci dicatúram. Itaque adolescens in órduem fratrum Minõrum ascribi vóluit : ubi Alexándro de Ales magistro, ad eam doctrínæ perfectiõnem brevi pervénit, ut séptimo post anno libros Sententiárum Parísii publice summa cum laude sit interpretátus : quos étiam præcláris póstea commentáriis illustrávit. Post sex annos, sui órduinis Generális míster Romæ factus, ea prudéntiæ ac sanctitátis laude ministérium gessit, ut in ómnium ore et admiratiõe esset.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo

unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Multa scripsit, in quibus summam erudi-tiõnem cum pari pietátis ardóre conjungens, lectõrem docéndo movet. Quem Gregórius decimus, ejus sanctimóniæ et sapiéntiæ fama commótus, Cardinálem et Episcopum Albanensem creávit. Eúndem adhuc vivéntem beátus Thomas Aquinas sanctum appellávit. Cum enim vitam sancti Francisci scribéntem comperisset : Sinámus, inquit, sanctum pro sancto laboráre. Migrávit e vita pridie Idus Júlii, in concílio Lugdu-nénsi, quinquaginta tres annos natus, multis éditis miráculis. Quem Xystus quartus Póntifex máximus rétulit in Sanctõrum número.

R. Pósui adjutõrium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.